Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 349
Quelle:
Copyright:

fidem quam fidei confessionem nobis commendans &c. 3) *De simbolo Athanasij*, hoc initio: *Ante omnia. ante spem et caritatem vel cetera bona* &c. Hae duae Expositiones nec in Edit. *cit.* leguntur, nec *Bernhardi*, sed fortasse ejus Viri, qui *Orationem Dom.* explicuit, esse videntur.

XIV. *fol.* 237. Excerpta quaedam e Sermone *de Cogitationibus: Ammonet nos beatus benedictus fratres sollicitos esse* &c. Item e *Sermonibus Bernhardi*, e Controversiis *Pelagianis Augustini*, et *Alcuini* seu *Albini Quaestionibus in Genesin.*

XV. *fol.* 242. Compendium illud *Historiae Evangelicae* jam alias non semel indicatum, quod infit: *In principio erat verbum* &c.

XVI. *fol.* 253 Resolvuntur variae Quaestiones circa sacros Homines praesertim eorum officium Horas canonicas recitandi, quarum prima: *Vtrum Nouitij teneantur ad Horas Canonicas?*

XVII. *fol.* 265. *Hugo de Sancto Victore de virtute orationis.* In edit. *Opp. Rothom.* 1648. T. II. p. 238. f. inscribitur *Liber de Modo Orandi*, et incipit: *Domino et Patri charissimo H. Munusculum hoc dilectionis mee* &c. Codex pro *Charissimo H.* legit simpliciter *Thij.*

XVIII. *fol.* 270. *Incipit Tractatulus de corpore christi.* Ita quidem: *Ad honorem corporis dominici quod tractum est de purissimis sanguinibus gloriose virginis* &c. Agitur de Eucharistia juxta X. *Praedicamenta Substantiae, Quantitatis, Relationis* &c. Unde putes, te prae manibus habere *Thomae Aquin. Opusculum* LIX. edit. *Rom. Opp.* 1570. T. XVII. Verum collatio docet, nostrum et brevius esse et recentius.

XIX. *fol.* 274. *Opuscula et Tractatus Ipsius Magistri Johannis Gerson Cancellarij parisiensis.* Enumerantur initio ducto a *Quadripartito de Nuptiis Sapientiae: Quaesivi sponsam mihi eam assumere* &c. quod citatum a *Trithemio n.* 755. in Edit. *Opp. Dupiniana* non reperi, Tractatus et Opuscula LXIV. subjecto hoc voto: *Item multa alia breuia sunt eius opuscula super diuersis materijs causa breuitatis hic omissa, que tamquam fragmenta ne pereant recollecta et in vno volumine velut in sporta recondita magnum et gratum preberent legentibus profectus solacium.* Quod votum jam ab edit. *Colon.* 1483. impleri coepit.

XX. *fol.* 277. *Incipit liber Crisostomi de Laudibus gloriosissimi pauli apostoli.* Initium est: *Nichil prorsus errauit, qui pratum quoddam insigne virtutum* &c. Habemus igitur versionem *Aniani Celedensis* Diac. prout extat in edit. *Opp. Job. Chrys.* lat. *Lugd.* T. III. 1687. p. 315. f. et in graecolat. *Maur. Paris.* T. II. 1718. *col.* 476. f. Abest a Codice merito *Sermo* VIII. spurius, neque Tractatus in *Sermones* VII. sed in Rubricas quasdam distinctus est.

XXI. *fol.* 294. Breviora quaedam: 1) *De Gradibus Contemplationis. Ad artem contemplationis per sex gradus ascenditur* &c.

2)